

Romanis exemplum ad imitandum dedit. Varrone teste sex libros « *περὶ ἀνωμαλίας* » reliquit, quibus contra Aristarchi doctrinam « *ἀναλογίαν* » explodere instituit.

Suet.  
Gramm. 2.

LXXXIX. Grammaticorum Romanorum *Sp. Carvilius Ruga* primus fuit, qui a Spurio Carvilio Ruga libertate donatus, litterarium ludum aperuisse ac mercede patriciorum liberos litteras docuisse traditur. De hoc Valerius Maximus haec habet: « *Repudium inter uxorem et virum a condita Urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei praeponi debuisse arbitrabantur* ». Hic litterarum numerum auxit; etenim ceteris « *G* » adiecit; at « *Z* » quod multis annis ante eum Appius Claudius submoverat, in ordinem illarum non insinuavit. Cum hoc aetate coniunctus fuit *L. Aelius Preconinus Stilo*, grammaticorum princeps et magister Varronis, de quo mox in tertio libro locuturi; quem virum egregium et equitem Romanum cum primis honestum, eundemque et Graecis Latinisque litteris eruditissimum antiquitatisque litteratae peritum appellat Cicero. Huius diligentia grammatica omni ex parte aucta est, multiplici enim variaque doctrina commentarios compo suit antiquissima monumenta interpretat eruditos homines, qui ἀναλογισταὶ graece dicuntur, est secutus.

Val. Max. II.  
Mem. 1. 4.

Plut. Quest.  
Rom. 14 54.

Cic. Brut. 56;  
I. Acad. 2.

« *Commentarium de proloquiis* » scripsit etiam, in quo ipse, quae secum de rebus variis per transennam cotidie commentatus erat, brevibus veluti sentiis consignata, sui magis admonendi quam aliorum docendi gratia collegit. Salliorum quoque carmina et leges XII Tabularum interpretatus est, Varrone ac Cicerone testantibus. De Plautinis vero fabulis, in quibus etiam explanandis elaboravit, hac de causa praesertim disputasse videtur, ut quae eius verae essent, quae translaticiae, ex dicendi generis indicio sententiam ferret.

Gell. XVI.  
Noct. Att. 8. 2.

Varr. VII. de  
Ling. Lat. 2.;  
Cic. II. de  
Leg. 23.

Cetera Aelii scripta, quae a grammaticis multis nominantur — plurima fuisse censemus — fragmentis nullis manentibus, praeter iudicium de Plauto: « *Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent* » quod nominis auctoritate in Sarsinatis laudem circumferri solet, temporum iniuria omnia interciderunt.

XC. Eodem tempore *Archelaus* et *Vettius Philocomus* floruerunt, satirarum *Lucilii* explanatores, eorumque aequales vel supparet *Plotius Gallus*, qui primus Romanos artem rhetoricam docuit et librum « *De gestu oratorum* » scripsit; *Servius Nicanor*, *Q. Cosconius*, *Octavius Lampadio*, qui *Naevii* versus de bello Punico in libros distribuit, in iisque praestantissimi *Aurelius Opilius* et *N. Antonius Gniphio*. Hic discipulorum fama nobilior quam sua — in auditoribus enim, qui domum suam frequentabant, *Ciceronem* habuit — cum perdiligenter cotidie praecepta de omni eloquendi arte traderet, decimo quoque die orationibus declamandis auditores suos exercere solitus erat. Libros vero novem, quos de his rebus composuit, praeclara eruditione doctrinaque varia refertos, novem Musis proprios addixit. Ex ludorum frequentia innumerabiles alii grammatae, litteratores, poetarum explanatores, scholiastae, critici eruditique homines provenerunt, qui consuetudine legendi non suas tantum aures tritas habuerunt, sed et discipulorum multis quaestiunculis disputationibusque impleverunt.

XCI. Ad hanc aetatem spectare videtur « *Rhetorica ad Herennium* » quoque, quae sine certo auctore etiam nunc a multis circumferri solet. Eam tamen nonnulli *Fortunatianum*, *Priscianum*, grammaticos alios, in primisque divum *Hieronymum* secuti, *Ciceroni* suam diutius ascripserunt. At nihil est cur, quod isti sibi certum assumant, et nos concedamus, praesertim cum ordine et rerum dispositione destituta sit, quae in *Arpinatis* syntagmatis cernitur. Sententias alias futiles commenticiasque de rhetoricae auctore — nam

*Suet. Gramm.*  
2. 5; *Rhet.* 2.

*Quint. I.*  
*Instit.* 6. 23.;  
*Macr. II. Sat.*  
12. 8; *Suet.*  
*Gramm.* 7.

*Hieron. Apol.*  
*adv. Ruf.* 1.  
16.



alii Aelio Stiloni, alii Gniphoni addicunt — silentio mihi praetergredi liceat; attamen ne a neutris nullis argumentis stetisse videar, vel inepte causam iudicibus aliis reliquisse, cum recentioribus multis eam Cornificio illi tribuam, qui cum Cicerone de consulatu contendit quique iudex severissimus atque integerrimus fuit. Hoc mihi Quintilianus tacite suadet, qui in nono libro Institutionum tot et tales sententiarum et verborum figuras, quae dicuntur, Cornificio attribuit, quot et quales reapse in rhetorica ad Herennium reperiuntur. In hac autem tota eloquentia pertractatur. In primo enim libro et secundo de ista rhetoricae parte, quae pertinet ad inventionem, in tertio de sententiarum compositione atque distributione, in postremo de actione, quae in gestibus atque corporis motibus posita est, in vocis sonu, in ceteris huiusmodi, fuse peragitur; tum etiam de memoria, in qua inventa ab oratoribus et cogitata tamquam in thesauro abscondita custodiuntur. Ex Graecorum fontibus, ex Aristotelis Hermagoraeque libris satis libere et iure quasi suo rem auctor deprompsit, quam tamen tot tantisque Romanorum exemplis illustratam et comprobata voluit, ut non desint, qui Ciceronianis libris rhetoricis eam praeponere audeant.

XVII. Agricolarum vero ars, quam Romanorum patres antiquitus a Saturno, videlicet a natura ipsa, didicerant, dein etiam a Catone, cognitis post Carthaginem captam Magonis libris, miros ad disciplinae dignitatem progressus fecit. Huius libros senatus tanto in honore habuit, ut, cum regulis Africae bibliothecas reddi iussisset, novo inauditoque consilio, quod singulare mansit, illos Latine vertendos curaret. Rusticae exercitationes, quae sementibus ac messibus, pratis ac pomariis, hortis, arborum potationibus ac vitium, religationibus animalium, aliis huiusmodi rerum generibus continentur, quo modo quoque anni tempore fieri deberent, villicis imperabantur. Istarum rerum infinitatem non minus duodeviginti libris consignaverat. Negotium librorum vertendo-

*Cic. I. ad Att.  
I; II. in Verr.  
10.*

*Plin. XVIII.  
Nat. Hist. 5.  
I; Cic. I. de  
Orat. 58.*

rum patres sermone Punico peritis commiserunt, in quod *D. Silanus*, vir honestissimo loco natus primus, post eum vero *Cassius Dionisius Uticensis* incubuit. Hunc Magonem rusticationis parentem dicendum esse Columella affirmat. Varro autem nobis auctor est in libris de eadem re conficiendis, *C. Tremellium Scrofam* versatum esse, atque etiam duos *Sasernas*, patrem et filium; cum istis denique *Tarquinius Priscus* et *Mamilius Sura*, qui a Plinio laudantur.

Varr. I. de  
Re rust. 2. 22,  
16. 5., 18. 2.

Cic. Brut. 20.  
78; I. de Off.  
6. 19.

Plin. IX. Nat.  
Hist. 30. 48;  
5. 11.

XCIII. Per id tempus *C. Sulpicius Gallus* fere in astrologiam se contulit, qua tantum praestitit, ut non modo astra singula nominaret eorumque motus dignosceret, sed et lunae quoque defectionem, quae nocte fuit ante pugnam ad Pydnam commissam, praenuntiaret. In geometricas vero formas describendas *Sex. Pomponium*, quem Cicero cum Sulpicio nominat, primum omnium se contulisse traditum est. His rerum naturalium scriptoribus duo alii addendi sunt *Trebonius Niger* et *Turranius Gracilis*, quorum uterque regionum terrestrium et maritimarum scientiae operam dedisse videtur. Notandum tamen hoc loco est disciplinas istas, quae in indagandis, quae sensibus subiciuntur, positae sunt, vel in obscuris abstrusisque causis inspiciendis eorum versantur, quae in natura fiunt, vel reconditis multiplicibusque artibus mathematicis continentur, quae et numeros componunt et geometricas formas describunt, vel siderum motus stellarumque dimetiuntur, diutius ad hanc aetatem apud Romanos iacuisse, quia earum consuetudine et studio, in quo nulla utilitatis species inesset, a rebus gerendis cives abduci contra officium esse credebatur. Frequentissima tamen poetarum explanandorum exercitatio in gravissimis hominibus illis, non intelligendi modo facultatem acuit, sed exemplorum copia celeritatem mentis excitavit, unde et genus dicendi ad perfectionem accessit, et auctis disciplinis studiisque, quae hominum propria sunt, scriptores et poetae maximi floruerunt, qui expletissima arte, fere ut Graeci, maturam litterarum aetatem ad immortalitatem illustrarunt.



LIBER TERTIUS DE LITTERARUM LATINARUM MA-  
TURITATE QUAE CICERONIS MEMORIAM ET AUGUSTI  
COMPLECTENS AB ANNO URBIS DCLXVI USQUE  
AD XIV ANNUM POST CHRISTUM PRODUCITUR

DE IACTATIS REIPUBLICAE FORTUNIS DEQUE INITIIS IMPERII

I. Latinae litterae, quae brevi centum sexaginta annorum spatio adoleverant, ad perfectam et undique cumulatam generum omnium maturitatem Ciceronis et Augusti memoria quam celerrime venerunt. Quibus aetatibus ut conditiones Urbis nec eadem ac superioribus saeculis fuerunt, nec tum sibi constantes manserunt, ita litterarum genera altera in altera aetate, minus ex scriptorum ingeniis diversa quam ex alternis rerum fluctuantium vicibus, inter sese distantia et quasi discrepantia floruerunt. Fontes enim et litterarum capita in singulorum quidem hominum animis posita sunt, qui cogitatione et commentatione artem consequuntur; at, teste antiquitate, teste recentiorum temporum et populorum omnium memoria, litterae ex civitatis universae statu, rebus, fortunis vim capiunt, cum illis percrebrescunt, cum illis immutari, deformari, frangi vel renovari solent.

*Litterae ad  
temporum  
conditiones  
conformantur*

II. Mores civitatis divitiarum illecebris, otii corruptela, immodica honorum ambitione, magis magisque in dies depravati, ad perniciem rerum omnium Ciceronis aetate corruerunt. Nam cum a maiorum integritate et disciplina cives defecissent, usque eo procliviores ad vitia facti sunt, ut cupiditatibus omnibus effrenatisque libidinibus unice studerent, nihil sancti, nihil pensi, nihil moderati amplius haberent. Amplissimos dignitatum gradus, tribunatum, consulatum, censuram, munera et officia publica quae, cum etiam bene constituta civitas esset, optimi viri spectatisque moribus tantum assequebantur, improbissimus quisque adeptus est. Relaxatis autem veteris disciplinae vinculis, etiam familiae,

*Civitas uni-  
versa vitia-  
tur*

in quibus et tota hominum vita et societas tamquam in fundamentis consistit, pedetemptim et per gradus dissolvi coeperunt. Discidia inter coniuges et divortia nata sunt, ex quibus parentum in liberos incuria, et liberorum vicissim in parentes; matrimonia neque diuturna, neque dignitate sed sceleris societate coniuncta, sterilitates, impudicitiae in exitium et ruinam civium omnium profluxerunt.

*Superstitio-  
nes transma-  
rinae impor-  
tantur*

III. Religio quoque, quam a maioribus acceperant, quaeque deorum cultu pio continebatur, novis ab Asia importatis superstitionibus deformata est atque vitata. Neglectis enim diis suis, Cybelem, Isidem, Serapidem in primis coluerunt, quorum in sacris celebrandis omnium turpitudinum, lasciviarum, libidinum facultatem, pro deorum natura et cultu, sibi fecerunt. Ne de republica quidem Ciceronis aequales id idem senserunt, quod patres. Multi enim honores, divitias, dominatum immodice cupidissimeque appetentes, leges iura instituta divina humanaque omnia perturbaverunt atque miscuerunt; alii, renovatis inter optimates ac populares partium discidiis contentionibusque, sitim rerum novarum odiis, cladibus, sanguine expleverunt; alii, quos tumultuose vivendi rationis huius vehementer pertaesum est, contra antiquam Romanorum disciplinam et morem, a vita in litteratum otium, tamquam in arcem sapientium, se abdere potius duxerunt. Nimum pauci ex patrio instituto ad libertatis iustitiae humanitatis studia inflammati viri, pro his rebus pugnantes probuerunt.

*Bella externa*

IV. Vivo Cicerone, Italia, Hispania, Asia, Africa, Gallia bellis vel externis, vel civilibus, vel utriusque generis uno tempore flagravit. Quattuor et triginta annorum spatio, quod sexcentimum septuagesimum sextum annum inter et septingentesimum decimum post conditam Urbem intercudit, bella atrocissima quattuor cum hostibus his feliciter confecta sunt. Primum contra Sertorium, hominem haud ignobilem et strenuum sane, in Hiberia gestum est; qui cum in pro-



vinciam illam a Cinna missus esset indeque post Sullae reditum in Italiam pulsus, a gentibus illis, quas prudentia, iustitia, pietate atque humanitate sibi conciliaverat ad provinciae gubernacula revocatus, rempublicam a Romanis seiunctam et iuris paene sui pro integra maiorum disciplina et usu conformatam condiderat. Exercitibus a senatu missis cum diutius restitisset, Pompeio duce, a Perpenna quodam per prodicionem ex insidiis interfectus est. Bellum secundum cum piratis qui rapinis praedationibusque mare Inferum infestabant confectum est. Pompeius maritimos eorum cursus intercludere iussus, instructa classe, interceptisque latronum navibus hinc illinc sparsim et sine ordine concursantibus, maria omnia brevi tempore periculo liberata tenuit. Bello tertio, quod Spartacus, gladiatoribus primum sociis deinde Italicis ad centum viginti milia concitatis, in Italia ipsa commoverat, gravissimum periculum aliud depulsum est. Crassus in eos cum senatus iussu arma intulisset, ad interneccionem multis pugnis profligatos cecidit. Reliquos, qui ex proeliis in Apenninum montem se recipere contendebant, ex Hispania rediens interceptos Pompeius in itinere delevit. Quartum bellum in Asia a Mithridate rege, extrema Romanis moliente, conflatum est, qui Bithynia occupata litteras per omnem Asiam misit: ubicumque inventi essent cives Romani, uno die omnes occiderentur. Lucullus in eum missus est, qui, cum pluribus proeliis profligavisset, Tigranocertam ad Armeniae regem eum profugere coegit. Cum vero, viribus reparatis, in eo esset, ut bellum redintegraret, imperium Pompeio decretum est, qui, pugna ad Euphratem, eum devicit. Mithridates rex ex fuga ad Pharnacem filium in Tauridem contendit, a quo desertus, cum audivisset Romanos adventare, ne in eorum potestatem veniret, hausto veneno, sibi vitam ademit.

*Sertorianum**Piraticum**Spartacicum  
seu servile**Mithridaticum*

V. Dum haec in nominis Romani hostes per terrarum orbem bene feliciterque geruntur, bellum civile alterum, illo quod fuerat ante maius, exarsit. Partes enim illae, in quas

*Bella civilia  
et prima  
trium viro-  
rum potestas*

*Triumvirum  
certamina de  
Urbis im-  
perio*

*Caesaris  
mors*

*Coniurato-  
rum finis*

civitas superiore aetate exeunte desciverat, quaeque Mario et Sullae civium proscribendorum occasionem praeberant, maiores acrioresque ex cladibus factae, de civitatis imperio capessendo civilibus contentionibus, coniurationibus, armis exercitibusque, omnibus modis inter sese quam asperrime decertaverunt. Ex partibus his Catilinae coniuratio orta est, cuius ex metu rempublicam Cicero, coniuratis detectis, liberatam servavit. Inde etiam prima trium virorum, ex pactione Caesaris cum Pompeio Crassoque, nata potestas, quae tecte reipublicae libertatem pessumdedit, atque Caesari Galliae subigendae occasionem obtulit. Inde paulo post, ruptis pactio- nibus, simultates, arma, proelia inter triumviros ipsos nata sunt, et Caesaris pugna, quae cum Pompeianis in Hispania fuit, et ad Pharsalum cum ipso Pompeio; inde istius fuga ad Ptolemaeum regem in Aegyptum atque indignissima mors. Inde denique ad Thapsum, ad Mundam Pompeianorum strages, post quas Caesar, fractis multorum civium viribus, dominatum in civitate unus obtinuit. Attamen Caesar, etsi nihil imperio ne in adversarios quidem abuteretur, tantum odium tantamque in se eorum invidiam concitavit, qui ad rempublicam in libertatem restituendam animum intenderant, ut, cum in unius dominatum popularem maiorum civitatem convertisset, facta coniuratione, viginti et duobus vulneribus confossus in curia Pompeii procubuerit exanimis.

VI. Nihil Caesaris mors coniuratorum causae profuit. Nam, multitudine tumultuante, quam in testamento Caesar hortorum heredem constituerat, coniurati ad id, quod sibi proposuerant, potius esse rati sunt egredi Urbe, arma statim exercitusque parare. Ad Caesaris mortem vindicandam altera triumviralis potestas Octavianum inter Lepidumque et Antonium condita est, qui nihil spatii Bruto Cassioque ad arma cogenda reliquerunt. Ad Philippos rebus infectis ab Antonio et Octaviano cum Bruto et Cassio decertatum est, Cassius proelio cecidit, Brutus in fuga, ne patriam servitute oppres-



sam videret, violentas sibi intulit manus. Bellum civile tertium paulo post inter Antonium Octavianumque coortum est, commissaque ad Actium navali pugna hic superior discessit, ille Cleopatram in Aegyptum secutus, cum Alexandriae ab Octaviano obsessus esset, se ipse in rerum desperatione interfecit. Post Actiacam victoriam unum hoc Octavianus contendit ut, facta civilium dissentionum fine, omnem in unum se potestatem conferret. Imperatorium nomen ex parte victoria suo quasi iure sibi adiunxit; deinceps, populo favente, tribuniciam potestatem, dignitatem principis senatus, consulatum, proconsulatum; postea censuram atque pontificatum maximum, omnia denique paulatim et per gradus, quo facilius Romanos deciperet, munera, honores, dignitates sibi administranda aut gerenda vindicavit. Immutata hoc modo civitatis forma ac disciplina, popularibus ademptis, in terrarum orbem iustitia atque pace administrandum, quas multos iam annos gentes quasi expectantes cupiebant, curam omnem defixit.

*Bellum civile inter Antonium et Octavianum*

*Octavianus rerum omnium in Urbe potitur*

VII. Inter tot tantaque rerum discrimina, bella, odia, simultates, civium cum civibus pugnas, miros in omni genere ad absolutionem et perfectionem processus litterae fecerunt. Cicero enim, qui cum inconstantia ingenii et studiorum instabilitate, tum exagitatissima vita praesertim et morte crudelissima temporum suorum imaginem inter nova et vetera fluctuantium expressit, incredibili disciplinarum omnium cognitione, quae oratoris maximi propriae sunt, mentisque lumine prope divinae non aetatem suam tantum et Romanorum litteras illustravit, sed in posteritatem et memoriam populorum omnium et gentium nomen gloriamque, quam ab aequalibus assecutus erat, commendavit et propagavit. Virgilius autem, qui in beatissimum Augusti saeculum, deorum numine quodam incidit, ut magnitudinem magnificentiamque imperii Romani celebraret, aequalium aures armorum sono iam multos annos tritas, suavi atque varia tranquillaque carminum iucunditate delinivit, exhilaratosque ad pacis artes inflammavit cives.

*Plena litterarum maturitas*

*Cicero et Virgilius suarum aetatum lumina*

*Scriptores  
praecipui Ci-  
ceronis me-  
moriae*

*Augusti sae-  
culi poetae*

Cum Cicerone, litteris iam ad maturitatem progressis, praeter minores innumerabiles fere, praestantissimi tres uno tempore rerum scriptores exstiterunt, C. Iulius Caesar, Sallustius, Varro; multique alii, qui sermone soluto usi, in aliis litterarum generibus versati sunt. Nec poetae defuerunt; in his Lucretius atque Catullus maximi, ex quorum carminibus triste vitae taedium illud spirat, quod quibusdam Ciceronis quoque locis deprehenditur. At Augusti memoria magnus poetarum numerus floruit, quorum alii alia in genera se contulerunt. Tunc temporis enim satiricorum poetarum laude maxime viguit Horatius; in erudito autem Alexandrinorum poetarum genere et Tibullus et Propertius multum valuerunt, tum Ovidius, qui facilitate carminum, varietate, copia Romanorum litteras mirum in modum locupletavit. Cum his denique non aetate tantum sed similitudine quadam orationis coniunctus T. Livius antiquitatem et memoriam omnem celebrans exstitit. Hanc enim eo animi ardore recoluit iisque verborum luminibus exornavit, ut non fabulas modo, sed et res veras ipse ad magnitudinem Romani imperii poetice, simul, maximi poetae instar, atque historice in posteritatem tradendam ementitus esse videatur.

#### POETAE EPICI CICERONIS MEMORIAE

VIII. Ex duobus fontibus poetae, qui Ciceronis aetate in carminibus epicis condendis versati sunt, superiorum temporum consuetudinem secuti rem deprompserunt. Nonnulli enim commenticias Graecorum fabulas ab Alexandrinis poetis retractatas in carmina sua transtulerunt, alii contra Ennium Naeviumque imitati, res Romanorum, quibus valde multitudinem delectari videbant, celebrare maluerunt. In istorum numero *M. Furius Bibaculus* fuit, quem Cremonae anno sexcentesimo quinquagesimo uno post conditam Urbem



natum esse constat. Gallus natione, de Gallorum rebus poema composuit, quod « *Pragmatica belli Gallici* » inscribatur, cuius puerilis exstat versus :

*Hieron. Chr.*  
*ad ann. 651.*

*Iuppiter hibernas cana nive conspuat Alpes*

quem propter novam et inanem verborum translationem Horatius quodam Satirarum loco ridet. Atqui non omnes eius versus ineptos fuisse conicere licet, si Macrobio standum, qui Virgilium ab eo versus accepisse affirmat. Verisimile est poemam in carmine suo conficiendo Caesarem auctorem esse secutum, qui de rebus a se in Gallia gestis commentarios libros conscripserat. Iambi quoque et epigrammata versu hendecasyllabo a poeta condita feruntur, quorum aliquot in Valerium Catonem, quem poeticam docentem audiverat, edita supersunt. Faceta quidem et iocosa carmina ista prima specie videntur; at intus miserationis sensum quandam et quasi dolorem redolent. Minus enim poeta magistrum ridet, quam animo frendit, cum in persolvendas grammaticorum quaestiones illum paratissimum videat eundemque tamen nomen ex tabulis eorum expedire, quibus pecuniam debeat, ineptum inveniat. Iamborum vero illorum acerbitate plenorum, quos in Caesarem et Augustum composuisse traditum est, nihil praeter memoriam manet.

*Hor. II. Sat.*  
*2. 40.*

*Quint. X.*  
*Inst. I. 96:*  
*Tac. IV.*  
*Ann. 34.*

In poetarum Graecorum fabulis narrandis *C. Iulius Caesar* etiam et *M. Tullius Cicero*, a Musis inter maximas reipublicae curas tentati, non parum elaborasse traduntur. Ille enim, cum adulescens litteris prius operam suam navavisset, quam rebus militaribus studium convertisset, de commenticiis Herculis historiis poematum confecit, quod « *Laudes Herculis* » inscribatur; perinde ac si, res memorandas sibi faciendas esse divinans, illius laboribus, ut calcaribus uti vellet, quibus se ad herois virtutem aemulandam compelleret. Tragoediam « *Oedipum* » et « *Dicta collectanea* » vixdum

*Suet. Caes. 56*

Suet. Caes.  
56; Macr. 1.  
Satur. 16. 39.

adulescens ex multis locis veterum auctorum excerpta composuisse videtur, atque etiam carmina nonnulla amatoria. Quae litterarum studia, neque cum in castris versaretur, neque cum aetate proventus ad reipublicae gubernacula sederet, intermisit omnino. Cum imperio igitur in Hispaniam profectus, de iis, quae in itinere conspexerat, inter classica et turbas poema composuit, quod « *Iter* » inscribatur. A quibusdam Caesari etiam poema « *De astris* » Graece conscriptum tribuitur, quod ab alio auctore confectum suspicamur, eique ascriptum fuisse, quia temporum notandorum rationem ex astrorum motibus immutaverat. Ex carminibus his nihil praeter Menandri iudicium, quod in superiore libro rettulimus, ad nostram memoriam manet. Ceterum nugae iuveniles has in multitudinem evulgari Augustus vetuit.

Plut. Cic. 2.;  
Script. Hist.  
Aug., ed. H.  
Peter. II. p.  
29. Iul. Capit.  
tol. Gord.  
tres, 3. 2.

IX. Uberior ut in ceteris litterarum generibus Cicero, qui totam aetatem in illis fere tantum consumpsit, ita in poeticis rebus, quam Caesar dicendus. Plura enim illius poemata, carmina, epigrammata, versus, vel ipsius vel a Graecis poetis versa, quam huius memorantur. In adolescentia Cicero poemata duo de rebus mirificis ex fabulis desumptis composuit, quorum primum « *Glaucus* » inscribatur, secundum « *Alcyon* ». In illo tetrametris versibus piscatoris Anthedonii illius, Glauci nomine, fabulam referebat, ex qua, cum quondam pisces captos in litore explicavisset eosque, herba quadam contacta, in mare iterum prosilientes conspexisset, novitate rei permotus, herbam degustasse tradebatur, cuius ope ac vi inferiore corporis parte in piscem versus in aquam se submersisse marisque deus evasisse. Poema vero alterum de Alcyone infelicissima femina erat, Ceycis uxore, quam, cognita viri morte, qui naufragio perierat, dolore commotam se in mare proiecisit in avisque formam cum viro suo Iovis miseratione immutatam ferebant. Atque etiam adulescens Cicero in litterarum exercitationem nonnullos ex Homeri poematis locos vertit, posteaque, maiore sibi versuum condendorum



arte comparata auctaque rerum difficillimarum cognitione, duas Arati poematis partes Latine reddidit, alteram de sideribus, quae « Φαινόμενα » inscribatur, alteram « Προγνωστικά » de tempestatum signis, quae in aere fiunt. Aetate vero protractus rerum memoriam, tum earum, quas ipse in consulatu fecerat, tum suorum aequalium, duobus aliis poematis committere voluit, quorum alterum « *De consulatu meo* » alterum « *De temporibus meis* » inscripsit.

X. Per idem fere tempus Caesaris audaciam miratus, de navigatione illius in Britanniam poematum quoque concinnavit; et etiam aliud, in quo versibus heroicis Marii municipis sui laudes celebravit. Circumferuntur etiam carminum aliorum tituli, ut « *Nilus* » ut « *Thalia maesta* » ut « *Uxorius* » in quo viros illos mormordit, qui uxori valde inserviunt; ut « *Limon* » denique, in quo elogia virorum illustrium complexus est. Huius superest de Terentio iudicium:

*Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,  
 Conversum expressumque Latina voce Menandrum  
 In medium nobis sedatis motibus effers,  
 Quiddam come loquens atque omnia dulce miscens.*

De poetica autem Ciceronis facultate alii aliam sententiam ferunt. Non desunt enim scriptores, in iisque Plutarchus, qui satis laudis ei tribuant; alii contra, ut Seneca, ut Iuvenalis, censent in eo poetarum vim nullam fuisse. Cum his Martialis stat, existimator Arpinatis carminum acerrimus, qui iniquo animo illum *Apolline nullo* factitasse versus affirmant. Cuius opinioni non assentiendum; nam in fragmentis et in septuaginta versibus poematis de consulatu, qui manent, sententiae inveniuntur non ad poetarum modum tantum inventae, neque afflatu aliquo et concitatione penitus carentes, sed etiam iis verborum luminibus ornatae atque distinctae, ut bono poeta non indignae videantur. In longiore loco, qui ex poemate de consulatu superest, satis pulchre Ura-

*Cic. I. ad Att.*  
 19. 10; 2. 3.  
 3; III. ad  
*Quint. fr.* 9.  
 6; alibi

*Cic. I. de*  
*Div.* 47. 106;  
 1. de *Leg.*  
 1. 2.

*Iul. Cap. loc.*  
*supra relat.*  
*Serv. ad*  
*Virg. I. Buc.*  
 58.

*Mart. II.*  
*Epig.* 89.

niam in mulieris venustissimae formam conversam depingit eandemque nefasta signa in caelis ostendentem sibi interpretantemque inducit, quae, consulari anno exeunte, poetice evenisse confingit. Pervulgatus inter ceteros et factus iam tritum sermone proverbium versus est :

*Cedant arma togae, concedat laurea laudi*

quo civilem sapientiam pluris faciendam armis esse docet ; nec non subobscurus alter, etsi tristitia plenus :

*O fortunatam [natam] me consule Romam*

in quo quasi inflammatio amoris in rempublicam, qua totam aetatem illum arsisse constat, et dulcissima iucunditatis significatio ex memoria rerum in eam a poeta bene actarum et gaudio nata, ita candide simpliciterque spirat, ut minus arroganter illa quam sincere et ad veri similitudinem dicta habeantur. Ceterum poetica Ciceronis facultas multis etiam in orationum exordiis, in perorationibus, praesertim in epilogis, nec non multis locis rhetoricorum librorum atque disputationum de sapientia, haud vulgaris ignobilisque atque summis poetis, ut in Scipionis somnio, quod est in libris de Republica, dignissima essa videtur.

XI. In numero poetarum, qui cum Cicerone fuerunt, illi in primis recensendi sunt, qui propter novam rerum inveniendarum exornandorumque carminum rationem, ex imitatione Alexandrinorum profecti, poetae novi appellati sunt. In his *P. Terentius Varro* fuit, qui cum in parvo Narbonensis provinciae vico, qui Ataci flumini adiacet, natus esset, Atacinum nomen habuit. Hic tamen, cum primum se in poeticam contulit, Ennium sibi auctorem sequendum proposuit. Ad huius exemplum igitur de bello, quod Caesar in Sequanos gesserat, poema confecit, quod « *Bellum Sequanicum* » inscribatur, cuius Priscianus librum undecimum memorat. In satiricis carminibus quoque elaborasse ex Horatio colligimus,

*Hieron. Chr.*  
*ad ann. 672.*

*Horat. I.*  
*Sat. 10. 46.*



*frustra* tamen, ex huius sententia. Trigesimum quintum annum agens Graecas litteras cum didicisset, Apollonii Rhodii poema, quod de Argonautis confecerat, Latine versum inscripsit « *Argonautas* ». Huius versus duo hexametri manent:

*Prop. III.*  
*Eleg. 34. 85.*

*Desierant latrare canes urbesque silebant:*

*Omnia noctis erant placida composita quiete*

qui quidem perbelle reddunt Apollonii versus:

Ὅδ δὲ κωνῶν ὄλακῆ ἔτ' ἀνὰ πτόλιιν οὐ θρόος ἦεν  
ἠρήεις· σιγῇ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.

*Apoll. III.*  
*749.*

XII. Ad genus carminum, quod didascalicum dicitur, spectabant poemata duo, quae post Argonautas partim a Graecis versa partim ab auctore composita fuisse censemus; primum de oceani inclinatione, de motibus aeris, de terrarum descriptione, quod tribus ex partibus ex Europa, Asia, Africa constans « *Chorographia* » inscribebatur, quodque Cn. Pompeio in Hispaniam cum imperio profecturo addixit; secundum « *Ephemeris* » de iis rebus, quae in aethere fiunt. In illo Alexandrum Ephesium, in hoc vero Aratum interpretatus esse videtur, qui de iisdem rebus eiusdem nominis carmina concinnaverant. In quibusdam Ephemeridis poematis versibus poetice animalium motus depingit, quibus ante tempestates caeli marisque animalia ipsa exagitantur, perinde ac si illas praesentiant et membrorum motibus portendant:

*Non. de*  
*Propr. 2. 22.*

*Tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis*  
*Cernere inexploto studio certare lavandi,*  
*Et velut insolitum pinnis infundere rorem;*  
*Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;*  
*Et bos suspiciens caelum, mirabile visu,*  
*Naribus aerium patulis decerpsit odorem;*  
*Nec tenuis formica cavis non evehit ova,*

quos versus alios ad verbum fere, vel paucis tantum immutatis Virgilius in Georgica transtulit. Permagnum poetae Augusti

*Virg. I. Gerg.*  
*375 - 387.*

*Senect.* VII.  
*Contr.* 2. 28;  
*Quint.* X.  
*Inst.* 1. 87.

aequales Atacinum fecerunt, nec non Seneca, qui illius versus *optimos* iudicavit. A quibus tamen Quintilianus aliquantum dissentit; nam hic: « *Atacinus Varro* » inquit « *in iis per quae nomen est assecutus interpret operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples* ». Atacini carmina, sive propter laudes, quibus a veteribus commendata sunt, sive propterea quod eorum auctor, ut aetate, ita etiam genere Virgilium proxime praecessit, multum nunc quoque a doctis hominibus desiderantur.

XIII. In genere autem poematum illorum, quae « *μυθικά* » appellantur, quaeque a tragicorum poetarum fabulis manasse novimus, multos annos *C. Helvium Cinnam* elaborasse traditum est. In Gallis Cisalpinis non antiquorum tantum scriptorum testimonio sed nominis etiam indicio — nam gens Helvia in titulis marmore insculptis Gallorum saepe recurrit — poetam natum esse certo comperimus; attamen qua urbe ortus sit, nondum inter eruditos viros satis liquet. Cum Catullo, cuius consuetudine familiariter usus est, Memmium in Bithyniam praetorem proficiscentem secutus est, indeque reversum, Romae domicilium collocasse censemus. Postero die, quam Caesar occisus est, multitudo in coniuratos concitata per errorem eum, quem Cornelium Cinnam crederat, necavit eiusque caput hasta infixum per urbem in ludibrium circumtulit.

*Suet. Caes.*  
 85.

Catullus nobis auctor est illum in poemate conficiendo, quod « *Zmyrnam* » inscripsit, novem annos continuos impendisse. Ex huius exemplo tritam regulam illam « *nonum prematur in annum* » poetis ab Horatio graviter faceteque dictam esse nonnulli arbitrantur. Poematis fabula erat de Myrrha, Cinyrae Cypriorum regis filia, quae Veneris ira, incesto patris amore capta, imprudentis eius amplexu potita est. Facinore cognito, a patre ad necem quaesita, in Arabiam confugit, ibique in aborem conversa ex cortice scisso pulcherrimum illum Adonim peperit. Adeo obscurum poema

*Horat. ad Pison.* 388.



fuit, ut grammatici, qui in id explanandum insudaverunt, teste Filargio, magnam gloriam consecuti sint. Duo eius exstant fragmenta, quorum primum duobus hexametris versibus constat:

*Filarg. ad  
Virg. IX.  
Eclog. 35.*

*Te matutinus flentem conspexit Eous*

*Et flentem paullo vidit post Hesperus idem*

secundum uno tantum versu circumscribitur:

*At scelus incesto Zmyrnae crescebat in alvo*

qui versus tamen obscuritate minime peccant, immo et ad sententiam apertissimi sunt, neque sine artificio factitati.

XIV. In eodem numero poetarum, qui res ex antiquissimis deorum fabulis deprompserunt, C. Licinius Calvus quoque fuit, oratoris clarissimi filius. Hic enim poematum «*De Ione*» venustissimae formae puella, composuit, cuius argumentum ex antiquis fabulis colligimus. Iuppiter igitur ut fama ferebat, Ionem vehementissime amavit, quam nube obducta fugientem moratus est, in qua abditam eam compressit. At Iuno cum insuetas tenebras conspexisset, viri fraudem suspicata, caliginem discussit. Hic puellam, quam sibi dono dari dea postulavit in Argi custodiam tradendam ne agnosceretur, in vaccam vertit. Iovis auxilio tamen in Aegyptum Io per fugit, ibique in pristinam formam cum rediisset, regi Osiridi nupsit. Aegyptiis ita cara fuit, ut post mortem dea habita sit. Maior tamen in carminibus lyricis fuisse videtur, quapropter de eo plura nobis dicenda in alium locum remittimus. Atque etiam *Catullus* et *M. Terentius Varro Reatinus*, ab *Atacino* probe distinguendus, in poetis epicis recensendi sunt, de quibus quoque alio loco pauca dicturi sumus, cum de illis ex professo nobis agendum erit. Cum his demum poetae alii fuerunt, qui cum ex doctrinis inventisque Graecorum carmina ad praecepta sapientiae hominibus tradenda

*Pseud. Serv.  
ad Virg. IV.  
Eclog. 47.*

Quint. I. Inst.  
4. 4. Macr.  
VI. Satur. 5.  
12. Cic. II.  
ad Quint. fr.  
11.

confecerint, Graeco nomine didascalici appellandi sunt. In istis est *M Terentius Varro Reatinus*, vir in primis eruditus quem mox nominavi; *Egnatius* nullo alio nomine notus, qui « *De rerum natura* » poema composuit, *Cn. Sallustius* denique, cuius Cicero in epistula ad Quintum fratrem poema nominat « *Empedoclea* » inscriptum.

#### T. LUCRETIUS CARUS

Hieron. Chr.  
ad ann. 659.

XV. In maximas rerum asperitates temporumque discrimina, quibus cum honoribus et rerum gestarum gloria civitas tota floreret, turbulentissimorum hominum ambitione commota vehementissime est, T. Lucretius Carus incidit, poetarum non eorum tantum, qui cum eo vitam egerunt, carminum fama post mortem clarissimus, sed omnium in Latinis litteris ornatissimorum doctissimus. Quem, cum e civilibus fluctibus se in praeclara sapientiae studia recepisset, sperans ibi locum quietis et tranquillitatis sibi plenissimum fore, in medio vitae decursu ii casus privati secuti sunt eique talis laborum et anxietatum moles, ex illa ipsa vivendi ratione, quam ad beatitudinem perfruendam maxime opportunam esse duxerat, provenit ut, vel sui compos requiescendi initium cupiens, elatoque animo vitae irridens venenum obduxerit, quae in eum taeterrima fuerat, vel propter insaniam sibi mortem consciverit. Apud Hieronymum auctorem praecipuum, qui nonnullas unus de Lucretio notitias nobis tradit — nam oblivio apud ceteros scriptores eodem adversissimo fato, quo poeta vivens usus est, memoriam obruit — anno sexcentesimo quinquagesimo nono eum ortum esse legimus eundemque quadraginta quattuor annos natum, hoc est, subductis rationibus, anno septingentesimo tertio post conditam Urbem, propria se manu interfecisse. Est tamen de hac re scholastica inter temporum indagatores contro-



versia. Etenim nonnulli ex antiquo codice notam grammatici eruunt, quam Hieronymo opponunt: « *T. Lucretius poeta nascitur sub consulibus anni XXVII ante Virgilium* », ex qua, facta annorum dinumeratione, ortum poetam esse duobus annis ante inferunt, quam ille statuit. Non desunt denique qui Donatum tertiae opinionis testem in medium inducant haec in Virgilii vita obiter scribentem: « *Initia aetatis Cremonae [Virgilius] egit usque ad virilem togam, quam XV anno natali suo accepit, iisdem illis consulibus iterum duobus quibus erat natus, evenitque ut eo ipso die Lucretius poeta decederet* ». Ex cuius auctoritate natalem poetae diem nec non obitum duobus alteris annis ante remittendos esse putant. Quas opiniones, ut uno in conspectu inspicere possint, eodem ordine, quo mox recensui, in hanc tabulam exigere iuvat:

*Cod. Lat. Monac. n. 14429.*

*Don. Vit. Virg.*

Hieron. nat. ann.	DCLIX	ann. obit.	DCCIII
Schol. »	DCLVII	»	DCCI
Donat. »	DCLV	»	DCXCIX

Donatus mihi in hac annorum quaestione potius sequendus esse videtur; nam Ciceronis exstat ad Quintum fratrem epistula anno septingentesimo post Urbem conditam scripta, in qua iudicium de Lucretii poemate profert, perinde ac si poeta iam mortuus sit.

*Cic. II. ad Quint. fr. 9.*

XVI. Quaedam etiam de Lucretii casibus eodem Hieronymi loco leguntur. « *Postea* » scribit « *amatorio poculo in furorem versus cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit* ». Etiam notitias istas nonnulli ab homine Christianae religionis perstudioso in poetam iniuriose inventas esse censent, propterea quod impietatis crimine reum factum nullos deos esse docuisset. Equidem contra hos ineptam hanc causam et praestantissimo viro indignam puto, qui auctorem se nobis diligentissimum et veracissimum exhibeat. Quae

*Stat. II. Silv.*  
7. 76.

*Ovid. II. Ars.*  
*am. 105.*

enim, ex Svetonio desumpta refert, ea a Statio quoque reputantur: « *et docti furor arduus Lucretii* »: ceterum neque a similitudine veri absunt, neque a cogitationibus poetae aliena videntur. Philtra enim, propter multitudinis superstitionem, ad amores in animos hominum inducendos saepe a mulieribus adhibebantur. Id Ovidius testatur:

*Nec data profuerint pallentia philtra puellis:  
Philtra nocent animis, vimque furoris habent*

*Iuv. VI. Sat.*  
609.

atque etiam Iuvenalis in satira:

*Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit  
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti.*

A Lucilia quadam poculum amatorium propinatum esse Lucretio ex epistula Valerii cuiusdam inepti scriptoris colligimus, quam Scaliger refert: « *Livia virum suum interfecit, quem nimis odit: Lucilia suum, quod nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum: haec decepta furorem propinavit pro amoris poculo* ».

XVII. Sunt autem in poemate loci nonnulli, in quibus reapse poeta sibi mortem et violentam quidem desiderare videtur, quam argumentandi genere illo, quod complexio appellatur, optabiliorem et in dolore necessariam his verbis esse concludit:

*Lib. III. vers.*  
931. *et segg.*

*Quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris  
Luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?  
Nam si grata fuit tibi vita ante acta priorque,  
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas  
Commoda perfluxere atque ingrata interiere:  
Cur non ut plenus vitae conviva recedis,  
Aequo animo carpis securam, stulte, quietem?  
Sin ea quae fructus cumque es periere profusa,  
Vitaque in offensast, cur amplius addere quaeris,  
Rursum quod pereat male et ingratum occidat omne  
Non potius vitae finem facis atque laboris?*



Alibi etiam alia sunt pulcherrime dicta ad mortis timorem ab hominibus avertendum, ut illa quibus immiti animo atri Tartari fabulas refellit, vel tutum a dolore per fugium gratissimumque in suavi extinctionis somno solacium homines invenire posse demonstrat. Quaestiones alias et multas perpetuasque, quae de aliis Lucretii rebus saepissime fiunt, omitto ne longius ab huius libelli proposito digrediar.

XVIII. In tristi otio, in quod se Lucretius recepit, Graecorum sapientium inventa meditatus doctissimum poema « *De rerum natura* » composuit, sex libris constans, quod, cum eius studia mors immature ipso aetatis flore quaesita pervertisset, neque ad expletam partium convenientiam exactum, neque ad artem omnino limatum reliquit. Poema de obscuris rebus est, quas Epicurus contemplatione naturae primus invenit. In primo enim libro et secundo physica omnia pertractat, quae sensibus quidem hominum subiciuntur, sed ita a natura involuta sunt, ut eorum primordia nullo pacto percipi queant. Nullam rem e nihilo gigni posse, nullam in nihilum verti, quae in rerum natura sunt, ea in perpetuum permanere docet. Corpora particulis minimis, quae atomi appellantur, ex eius sententia constant, quae oculis sensibusque non subiciuntur. Ex illis, omnia quae in natura sunt, sidera, quae coelum distinguunt, terra universa, metalla, quae ex huius visceribus effodiuntur, aurum, ferrum, argentum, cetera conglobantur; ex illis arbores, flores, herbae proveniunt. Falsas deinde Heraclidis Empedoclisque et Anaxagorae de rerum causis sententias ostendit; quarum ille rerum universitatem igne tantum consistere docuerat; secundus quattuor elementis aequae in unum commixtis, aere videlicet, igne, aqua, terra constare; tertius denique omnia partibus congruentibus inter sese simillimis omnino componi contenderat. In postrema huius libri parte Lucretius de immensitate longitudinum mirabiliter disserit, in qua vis innumerabilium volitat atomorum. In libro secundo atomos aeternis motibus

*Liber primus*

*Liber secundus*

agitari ceterique docet, itaque per spatia vacua sursum deorsum, ultro citroque vagare, ut, nullo sempiterni itineris fine statuto, modo in unum, modo in alterum corpus coeant et coalescant, modo scissae diruptaeque et vicissim consociatae iterum atque iterum vel in singulas disgregentur, quae ante compositionem erant, vel inter sese ad infinitam rerum omnium varietatem formandam conveniant et componantur. Ut autem varios atomorum motus citatissimos, sempiternos in diversasque partes decussatos esse credit, ita formas etiam illarum et figuras dissimiles esse cogitat, resque omnes, quae ex coagmentationibus nascuntur, nulla stabilitate praeditas, sed perenni mobilitati subiectas, ideo formari ut pereant, ita augeri, ut minuantur, ita consistere, ut mox in novas varientur. Neque colore aut sono distingui, sed formis tantum discriminari primordia rerum docet, ex quorum dissociatione vicissim res ab aliis diversae perpetuo citatissimoque motu procreentur.

XIX. His physicorum inventis, quae ad inanimorum constitutionem spectant, poetice explicatis, mentis aciem animumque Lucretius in abstrusiores quaestiones defigit, quae de natura animi deque sentiendi intelligendique facultate a philosophis solent fieri. In tertio igitur poematis libro animum ab anima probe distinguendum esse contendit. Alteram enim ex epicureorum doctrinis vim quandam latentem et in toto corpore diffusam esse docet, qua vivimus, crescimus, senescimus; qua etiam illa, quae extra nos sunt, percipimus et sentimus; alterum contra, seu mentem rationis consiliique participem, in corde tantum residere, cuius ope, quid quaeque res sit, intelligimus et in nobis cogitatione depingimus. At animam, quam cum ceteris animalibus communem habemus, ita cum animo hominum proprio et singulari cohaerere et coniungi affirmat, ut unam eandemque naturam constituent, quamquam duobus ea nominibus vulgari verborum usu significantur. Visceribus utrumque inhaerere perspicuum



esse ostendit; nam corpus ad motum impellunt, e somno excitant, pallore et rubore suffundunt, ex quo, cum tangere et tangi, nisi corpus, nulla res potest, illa corpora esse concludit; eorumque neutrum divinitus nobis iniectum esse, neutrum a corpore diversum, neutrum aliud omnino ac corpus; ideo cum utrumque mortis corruptioni subiectum sit, animo elapso, nullum in corpore, nullum item in anima perdurare posse sensum docet:

. . *haud nobis quicquam, qui non erimus tum,  
Accidere omnino poterit sensumque movere,  
Non si terra mari miscebitur et mare caelo.*

ver. 838-840.

Atque etiam paulo post communem ut opinionem refellat eorum, qui mortem iniquo animo ferunt, quod bonis omnibus et consanguineorum amore priventur, ita illos cum morituris quasi colloquentes inducit:

*Iam iam non domus accipiet te laeta neu uxor  
Optima, nec dulces occurrent oscula nati  
Praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.  
Non poteris factis florentibus esse, tuisque  
Praesidium. Misero misere, aiunt, omnia ademit  
Una dies infesta tibi tot praemia vitae.*

ver. 892-997.

quos ut confutet, argumentum quam maxime idoneum affert

*Illud in his rebus non addunt: nec tibi earum  
Iam desiderium rerum super insidet ullum.  
Quod bene si videant animo dictisque sequantur,  
Dissoluant animi magno se angore metuque.*

ver. 898-901.

Quae omnia ea mente docet, ut in quarto libro, quod poematis caput est, homines timore temporum post hanc aetatem futurorum liberet. Naturam enim animi toto libro corpoream et mortalem esse ostendit. Quod quidem ut co-

*Liber quartus*

piosissime probet, argumentationem non minus triginta argumentis constantem adhibet; quibus explicatis, in solacium hominum ne hilum quidem ad nos pertinere mortem infert.

XX. Quo rem suam plenius probet ad naturam imaginum illarum indagandam transit, quae idola dicuntur. Non ea praeter materiam mentis actu quodam e rebus erui credit, sed earum alia ita *summo de corpore rerum* manare, alia in *caelo, qui dicitur aer*, gigni, ut nihil aliud reapse sint, quam rerum ipsarum partes atomis constitutae, quae oculis aut menti hominum sua sponte obversentur. Ex istarum incurSIONE homines non solum *ultra speculum* res ipsas vident, sed in intimo animi sinu eas cogitant et intelligunt. Eadem ratione etiam simulacra, quae appellantur, et umbrae mortuorum atomis constant, quorum utraque inanes et vacuae formae sunt, ad corporis effigiem ex atomis fictae; quae, ut e rebus nascuntur, ita una cum illis pereunt et evanescent. Inde somnia, in quibus simulacra videmus, non divinitus in hominum mentes inici docet, quasi deorum nuntios, ex quibus res, quae futurae sint, divinari queant; neque mortuorum umbras, quae huc atque illuc per auras volitare et inferorum regna post mortem petere multitudinis superstitione creduntur, quidpiam a corporibus ipsis diversum esse profiteatur. Sensus etiam animi, qui dicuntur, et amorem in corpore tantum insidere eosdemque tamquam ministros et famulos voluptatis ex blandis sensuum illecebris nasci demonstrat.

XXI. Cum ergo quidquid est, corpore constet et atomis, mundum a deo e nihilo eductum et in ordinem, quem videmus, redactum exaedificatumque esse negat; eundemque repentina in posterum atomorum dissolutione indigne perituum esse in libro quinto vaticinatur:

*Una dies dabit exitio, multosque per annos  
Sustentata ruet moles et machina mundi.*

*Lib. V. ver.  
95. 96.*

Ex atomorum cuncursione non terram tantum et mare et



sidera nata, sed homines etiam credit, qui malis miseriisque undique oppressi, cum moerore et luctu vitam longe morte graviolem exigunt. Ea enim eos natura condicione creavit, ut rebus iis, quae ad vivendum necessariae sunt, vel penitus careant, vel nullo pacto nisi maximo labore comparare sibi possint. Homines tantum, ut cibum atque victum inveniant, glebas vomere vertere sarculisque ferreis scindere coguntur :

*Et tamen interdum magno quaesita labore  
Cum iam per terras frondent atque omnia florent,  
Aut nimiis torret fervoribus aetherius sol  
Aut subiti perimunt imbri gelidaeque pruinae,  
Flabraque ventorum violento turbine vexant.*

*Lib. V. ver.  
213-217.*

Cur tandem, exclamat, tot tantaque mala? cur in tot calamitatibus homines versantur tantisque miseriis circumcluduntur? cur immatura saepe mors, contagia et morbos agens, ingentes eorum strages edit? His ut naturae damnis resistent, sui ipsorum pietate aliorumque misericordia homines commoti, inter se societatem coniunxerunt; inde, ad tristes animi sensus significandos sermo natus est, inde familiae, inde civitates et foedera, inde religiones et vana pietas in deos, quos malorum sibi timore effuxerunt; inde piacula, sacrificia, supplicationes, quae ad mala avertenda idonea esse creduntur; inde, frustra haes omnia experti, ex diuturnitate consuetudinis et doloris in desperationem prolapsi, arma homines capiunt, quibus alii alios, quasi malorum communium auctores, impie necant et perdunt. In ultimo libro, tanquam in epilogo quodam rei tristissimae, praecipua gravissimaque mala, quae genus hominum vexant, recenset, ut fulgura et tonitrua, quae homines tangunt, ut motus, quibus terra ex improvise concutitur, ut effrenatam ventorum vim, quae maria agitat et miscet, arborum robora evellit, urbes evertit, ut flammam, quae montium in verticibus ardent, liquentia saxa, quae inde erumpunt, quaeque illinc late defluentia

*Liber sextus*